



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum accidens in communi dicat vnum conceptum seu rationem
obiectiuam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

XVIII.

Ad fundamentum alterius sententiæ responde-
tur, ad prædictam proprietatem loquendi sufficere
distinctionem rationis. Nec est verum totum adde-
re partibus alium realem modum præter unionem:
neque enim magis intelligi potest talis modus, quā
quod addat nouam & distinctam rem, vt satis proba-
tum est.

DISPUTATIO XXXVII.

De ratione essentiali accidentis in com-
muni.

Est considerationem substantiæ crea-
tæ consequenter succedit accidentis
contemplatio: hæc enim duo membra
diximus adæquate diuidere ens crea-
tum. Prius autem quam ad singula ac-
cidentium genera descendamus, tria de accidente
in communi tractanda occurrunt. Primum de ipso
communi conceptu accidentis vt sic, an habeat ra-
tionem aliquo modo vnam, & quænam illa sit, & hoc
in præsentī disputatione præstābimus. De inde in se-
quente, accidens vt sic cum substantia creata com-
parābimus, vt membris illis inter se collatis illius di-
uisionis exactior habeatur cognitio. Tandem tertio
diuisiones accidentis, & eam præsertim, quæ est in
nouem genera, trademus.

SECTIO I.

*Vtrum accidens in communi dicat vnum conce-
ptum seu rationem obiectiuam.*

Prior opinio negans.

I.



Vthores qui existimant non posse esse
obiectum cōceptum communem quin
sit vniuocus & genericus si ad res essen-
tialiter diueras communis sit, conse-
quenter negabunt habere accidens v-
num cōceptum communem. Atq; ita fere opinan-
tur omnes, qui ex illo principio negant obiectiuum
cōceptum entis, quia tam pro comperto habent non
dari vnum commune genus ad nouem prædica-
menta accidentis, quam ens non esse genus ad de-
cem, nam solum illæ res prædicamento differūt, quæ
in genere non conueniunt. Accedit quod Aristoteles
interdum non solum commune genus, sed absolute
omne prædicatum commune his generibus negare
videtur, quod maxime intelligendū est de commu-
nitate rationis obiectiue, cum de communitate soli-
us nominis verum esse non possit. Antecedens pro-
batur ex 5. Met. tex. 12. & 1. 10. tex. 14. vbi ait illa esse
proprie diuersa, quæ in nullo cōueniunt, & 1. Poster.
c. 11. ait, propositionem in qua genus vnius prædica-
menti negatur de illo, esse immediatam, quia nullū
habent commune prædicatum, & alia adduximus
supra tractando de ente.

Posterior opinio affirmans.

II.

Nihilominus contrariam sententiam in primis te-
nent omnes, qui idem sentiunt de conceptu en-
tis. Deinde Soncinas & alii, qui dicunt cōceptum
obiectiuum entis esse hoc distinctum, substantia vel
accidens, necessario supponunt vtramq; partem illius
distincti habere vnum communem cōceptum ob-
iectiuum. Est autem hæc sententia eadem proportio-
ne declaranda & probanda qua similis de ente. Pri-
mum enim iuxta illam dicendum est, huic voci acci-
dens, correspondere in mente vnum cōceptum for-
malem non solius vocis, sed rei primario significatæ

per vocem. Probatur primo experientia: nam qui au-
dit hanc vocem & nouit significationem eius, non
sistit in voce ipsa, sed aliquid per illam significatum
concepit, nec distrahitur mens eius ad concipienda
plura quatenus plura seu diuersa sunt, neque etiam
manet quasi anceps & dubitans inter plura signifi-
cata: ergo signum est solum vnum cōceptum for-
mare adæquate significati illius vocis. Secundo, quia
illa vox, vt hic sumitur, id est, quatenus accidens sub
ente condistinguitur à substantia, non significat ex
multiplici impositione, sed ex vna, quia neq; est vox
æquiuoca, neque significans vnum proprie, & aliud
per translationem metaphoricam. Ac denique quia
non potest fingi ad quas res significandas sit variis
impositionibus instituta: alias quot res sub adæquata
sua significatione continet, tot fingi possent imposi-
tiones seu translationes illius vocis, quod per se im-
probabile est. Significat ergo ex vi vnius imposi-
tionis: ergo cum per voces exprimentur cōceptus, qui
primo illam vocem ad significandum imposuit, vni
cōceptum formalem habuit, quem illa voce expri-
mere voluit, substituens illam, vt ad placitum signifi-
caret, quod cōceptus representabat naturaliter:
ergo eadem ratione in nobis respondet vnus conce-
ptus formalis adæquatus primæ significationi hu-
ius vocis. Tertio, quia si cōceptus formalis acciden-
tis non est vnus, quot ergo erunt? An forte sunt no-
uem cōceptus nouem primorum generum acciden-
tium? At hoc incredibile est, tum propter multitudi-
nem cōceptuū, tum etiam quia vix post longam in-
quisitionem definire possumus, an sint nouem sum-
ma genera accidentium, vel plura, vel pauciora. Et
nonnulla sunt quæ vix vnquam cōcepta sunt ab im-
peritis hominibus, cum tamen omnes cōceptus ac-
cidentis formant. Denique nihil solidum & funda-
tum iudicare potest de cōceptu formali accidentis,
si multiplex & non vnus esse credatur.

Hinc consequenter infert prædicta opinio, concep-
tum obiectiuum accidentis esse vnum ratione præ-
cisum ab omnibus inferioribus. Probat, quia vni
conceptui formali vnus obiectiuus respondet, nam
cōceptus formalis vnitatem sumit ex obiecto adæ-
quato: obiectum autem adæquatum illius cōceptus
non est vnum per aggregationē tantum: est ergo v-
num per aliquam præcisionem saltem secundum ra-
tionem. Minor probari potest omnibus rationibus
factis de conceptu obiectiuo entis, quæ hic maiorem
habent efficaciam vel saltem clariorem, quia concep-
tus formalis accidentis non potest representare si-
mul qualitatem, quantitatem, & alia genera secundū
proprias rationes eorum, quia neque vnus conceptus
formalis finitus & confusus, potest hæc omnia di-
stincte representare & secundum propria: neque et-
iam posset ille cōceptus obiectiuus definire ac vere
prædicari de qualitate & singulis generibus acciden-
tium, sed vel esset falsa prædicatio dum tam multa
simul de vno prædicantur vel esset ambigua, aut ad
summum distincta prædicatio, ita vt perinde esset
dicere, *Albedo est accidens*, ac dicere *albedo est quanti-
tas*, vel *qualitas*, vel *relatio*, & cetera: non ergo con-
cipiuntur hæc omnia vt talia sunt ex vi huius vocis,
vel cōceptus accidentis: concipiuntur ergo sub al-
liqua vna ratione in qua conueniunt. At hoc est da-
ri vnum cōceptum obiectiuum accidentis. Et hinc
etiam sumitur ratio à priori, nimirum genera om-
nia accidentium tamen in propriis rationibus disti-
milia sunt secundum aliquid esse similia per realem
conuenientiam quam habent, vel in afficiendo sub-
stantiam, vel in alia ratione simili, vt tractābimus se-
ctione sequenti. Sed totum fundamentum abstrahē-
di cōceptum obiectiuum aliquo modo vnum secū-
dum rationem est similitudo, seu conuenientia realis
inter plura: ergo ratione huius conuenientie potest
etiam in accidente dari cōceptus obiectiuus com-
munis.

Et hinc

Et hinc etiam sic hunc conceptum obiectiuum esse ratione præcisum, quia ut repræsentatur per conceptum formalem non includit actum & expresse aliquid specificum, & genericam rationem accidentis, sed solum præcisam rationem inherendi. Et in hoc solum consistit hæc præcisio secundum rationem. Quod autem hæc præcisio non sit maior, quam rationis, à fortiori patet ex superioribus dictis de ente & de universaliibus prædicatis: nam conceptus accidentis etiam comparatur ad ea ex quibus præscinditur, ut quid commune ad particularia: ergo non potest ab eis plus quam ratione distinguere: quam cum aliquo fundamento in re eodem modo quo cætera prædicata communia, est enim eadem ratio.

Questionis resolutio.

Hæc quæstio non potest exacte definiri donec de Analogia, vel univocatione accidentis ex professo tractemus, quod disputatio 39. sect. 3. præstabitur. Interim distinctione censio utendum. Potest enim accidens sumi, vel pro entitate accidentali secundum se, & secundum suam tantum realitatem, vel pro quacunque ratione formali accidentis, quæ in prædicamentis collocatur. Quod alius etiam terminis dici solet accidens posse considerari, vel prout aliquid alicui accidere dicitur, nam licet omne, quod in se est accidens, alicui accidat, non tamen è converso, omne, quod alicui accidere dicitur, est verum ac proprium accidens. Quomodo etiam distinguere solet accidens, in accidens prædicabile, & accidens prædicamentale, & accidens physicum, seu dicens veram entitatem aut modum accidentalem. Dico ergo: Accidens prædicamentale, seu quod in novem genera dividitur non posse habere unum conceptum obiectiuum, quia multa complectitur, quæ vera ac propria accidentia non sunt. Accidens autem physicum habere unum conceptum obiectiuum, idque probare rationes posterioris sententiæ. Vtraque vero pars intelligitur, & confirmabitur amplius citato loco, & multo magis ex omnium prædicamentorum tractatione.

SECTIO II.

Utrum communis ratio accidentis in inherencia consistat.

Pars negativa huius quæstionis variis rationibus ostendi potest, si ante omnia supponamus sermonem hic esse de ratione essentiali per se primo constituyente naturam accidentis. Nam licet accidens alicui accidat, & ut sic extra rationem eius, tamen ipsum in se sicut ens est, ita & aliquam essentialiam seu essentialem rationem necessario habet: ergo accidentis ratio non potest esse inherencia ipsa. Probatur consequentia, quia vel est sermo de inherencia actuali, & hoc non, quia hæc non est essentialis multis accidentibus maxime secundum fidem nostram, quæ docet servari interdum accidentia sine inherencia actuali, cum tamen evidens sit non posse conservari rem sine essentiali ratione sua. Vel est sermo de inherencia aptitudinali. Et hoc dici non potest, primo quia sunt quædam accidentia, de quorum ratione est actualis inherencia, ita ut per nullam potentiam sine illa esse possint ut figura ubi: ergo est illis essentialis: ergo communis ratio accidentis non satis explicatur per inherenciam aptitudinalem. Secundo quia à contrario in iis accidentibus, quæ separari possunt à subiecto, ipsa aptitudinalis inherencia est aut relatio quædam, aut genus quoddam potentia, nam sicut dantur potentia activa & passiva, ita & potentia informativa: sed communis ratio accidentis abstrahit à determinatis rationibus accidentium: ergo non potest.

Tom. II Metaphys.

test consistere in relatione vel potentia, quæ sunt determinata rationes accidentis, aliàs, vel omne accidens esset respectivum, vel omne accidens esset quædam qualitas. Tercio videntur esse quædam accidentia quæ neutram inherenciam habent, nec actualem, nec aptitudinalem, ut relatio secundum esse ad, & actio ut actio transiens, & maxime modus per se existendi accidentis separari, aut actio creativa, si illa sit accidens, quod sine dubio erit si ad solum accidens terminetur. Atque hinc tandem excluditur facile aliud membrum, si fortasse daretur inherenciam sumi confuse abstrahendo ab actuali & aptitudinali: nam in primis hæc ratio non videtur esse una per abstractionem, sicut in superioribus dicebamus ens ut dividitur in ens potentia & in actu non dicere unam rationem abstractam. Deinde quia neutra illarum rationum convenit aliquibus accidentibus, & in aliis neutra est essentialis, ut obicimus. Tandem obstat aliunde quod illa ratio videtur latius patere, quàm accidens: nam formæ substantiales materiales vere ac proprie inherant materiæ & actui & aptitudini: ergo.

Referuntur opiniones.

In hac re variae sunt sententiæ: Prima est essentialis rationem omnis accidentis consistere in actuali inherencia ad subiectum. Ita videntur sentisse Philosophi Gentiles, qui putarunt, nulla ratione fieri posse ut accidens extra subiectum conservetur. In qua sententia videtur esse Arist. & Comment. ut late tractat Niphus 7. Metaphys. disp. 1. & sumi potest ex eodem Arist. ibi cap. 2. & 1. Phys. cap. 4. text. 29. intelligendum est autem eo modo actualem inherenciam dici de essentia accidentis iuxta hanc sententiam, quo supra dicebamus existentiam esse de essentia cuiuslibet entitatis actualis, nam sicut potest res creata privari existentia si destruat, non tamen si in sua entitate maneat ita potest accidens privari inherencia actuali, quatenus potest destrui: manens tamen in sua entitate actuali non potest, iuxta Philosophorum sensum privari actuali inherencia: atque ita putarunt non esse aliud ab ipsamet entitate accidentali. Quod maxime verum esset, si ut ant. qui Philosophi opinati videntur, accidentia non sunt proprie res, sed tantum modi unius primi subiecti.

Hanc vero sententiam, ut dixi, damnat Catholica fides, saltem ut non possit univocaliter vera esse. Quam limitationem adhuc, nam si quis diceret solam quantitatem esse separabilem à substantia, possetque manere sine actuali inherencia, & ideo in sola illa non esse de essentia eius actualiter inherere: esse vero de essentia cæterorum accidentium omnium, qui (inquam) sic contenderet, non erraret in fide, quia ad ea quæ fides docet de mysterio Eucharistiae satis est, quod sola quantitas maneat separata à subiecto, nam cætera accidentia illi inherant. Possetque qui sic opinaretur, nonnullam rationem differentie reddere inter quantitatem & alia accidentia, quod propinquior est, & similior substantiæ. Unde peculiare illi esse videtur, quod circa se ipsam quodammodo exerceat munus suum: nam quantitas ipsa quanta est, immo hinc etiam fieri videtur ut non habeat essentialem rationem suam in ordine ad substantiam, sed in ordine ad se. Unde in scientiis mathematicis ita abstracte consideratur, acti per se esset sine vilo ordine ad substantiam.

Nihilominus supposito mysterio fidei, longe probabilius est, posse etiam qualitates realiter à substantia & quantitate distinctas conservari sine inherencia actuali, ut dixi in tertio tomo tertie partis, disp. 67. sect. 3. in fine. Unde de omnibus accidentibus realiter à substantia, & inter se distinctis pro certo supponimus actualem inherenciam non esse essentialiam eorum, sed modum ex natura rei ab eis distinctum, nimirum

D d 2

mirum

II. Opinio.

III. Reiciitur.

IV.